



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118316**

§. 59. Sessio XXIX. Basileensis Concilii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

Sæcul. XV. *te contra eundem Dominum Eugenium Pa-*  
 A. C. 1437. *pam ad ulteriora fore procedendum, pro-*  
                     *sacro Concilio videbitur, consideratis neces-*  
                     *itatibus, & utilitatibus Ecclesiæ univer-*  
                     *sis (\*).*

## §. LIX.

*Sessio XXIX. Basileensis Concilii.*

*Labbe Conc.* **P**ost hæc Basileenses, cum probe intel-  
*tom. 12. p.* **l**igerent, Eugenii Papæ Bullam de Syn-  
 593. **o** nodo Ferrariæ celebranda ubique divul-  
 gari, eamque, licet primum decima octo-  
 va Septembris fuisset edita, plurimorum  
 tamen applausu jamjam acceptari, felici-  
 huic successui obicem ponere conaban-  
 tur. Quapropter die Sabbati duodecima  
 Octobris Sessionem vigesimam nonam ce-  
 lebrabant, eo fine, ut non modo Euge-  
 nium monerent, ut Bullam suam, & præ-  
 tensam (quemadmodum ipsi agebant)  
 Synodi convocationem ad civitatem Fer-  
 rariensem rescinderet, sed simul eidem  
 significarent, quod ejus opinio de aucto-  
 ritate Ecclesiæ merito sibi suspecta vide-  
 retur.

(\*) *Tempore lata hujus sententiæ (ut obles-*  
*vant acta Patriciana) Regis Hispaniæ Legati in*  
*dignitatem facti abhorrentes recesserunt, eique*  
*decreto se Regis sui, & Prælatorum, atque*  
*nationis nomine minime consentire contul-*  
*erunt.*

retur, cum decreta, & Concilii sanctio-  
 nes, quæ fidei materias respiciunt, appro-  
 basset, nunc vero non sine rebellionis nota  
 sese illis opponeret.

Sæcul. XV.  
 A. C. 1437.

## §. LX.

*Basileenses Eugenii Bullam confutare  
 conati.*

Ergo in dicta Sessione Eugenii Bullam  
 refellere aggrediuntur his verbis.  
 I. Avenionensis civitas rebus Græcorum  
 gerendis commodissima est, utpote mari  
 vicina, omni pace, ac securitate præ-  
 stans, quam Græci, ac ipsemet Eugenius  
 ad uniendas Occidentis, & Orientis Ec-  
 clesias acceptarunt, ratamque habue-  
 runt (\*).

II. Hunc in finem, ipso Eugenio con-  
 scio (\*\*), Avenione triremes ad Græcos  
 exci-

(\*). De hac acceptatione ab Eugenio facta  
 nec verbum legitur in hujus Sessionis decreto.

(\*\*). Denuo Continuator, quod nequidem Ba-  
 fileenses Eugenio imputare ausi sunt, eidem af-  
 fingit, per fas nefasque Pontificem in electionem,  
 urbis Avenionensis assensisse, evincere cupiens;  
 sed nempe inconsultis Synodi actis, cæco affectu  
 suum Richerium exscripsit, qui similia in sua  
 Hist. Conc. Gen. lib. 2. cap. 6. n. 2. arbitrarie  
 comminiscitur.